



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum pertineat ad Deum aliquem reprobari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

nae, & sicut praedestinationis effectus est gratiae applicatio, ita reprobationis effectus est obduratio, quae nihil aliud est quam subtractio gratiae Dei. Et in hoc terminatur sententia in speciali.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum praedestinatio habeat certitudinem.

Thom. 1. q. 23. ar. 6.

CIRCA distinctionem istam quaeritur de duobus, scilicet de praedestinatione & reprobatione. Quantum ad primum quaeritur vtrum praedestinatio habeat certitudinem. Et videtur quod non, quia quicquid Deus vnquam potuit non potest, sed Deus ab aeterno potuit non praedestinare quem praedestinavit, ergo nunc potest eum non praedestinare, si sic praedestinatio non est omnino certa.

2. Item aliqui dicuntur deleri de libro vitae, sed in libro vitae non scribuntur nisi illi qui praedestinantur ad gloriam, ergo praedestinati possunt de libro vitae deleri, & ita praedestinatio non est omnino certa.

3. **I**N CONTRARIUM est quod dicit Anselm. de concordantia praedestinationis & gratiae, praesentia de necessitate futura esse, sed quae de necessitate eueniunt certitudinem habent, ergo &c. Et iterum super illo verbo Ro. 9. quos praesciuit & praedestinavit &c. Dicit glossa, praedestinatio est praesentia & preparatio beneficiorum dei quae certissime liberantur quicunque liberantur.

4. **R**ESPONSIO. Circa quaestionem istam tria sunt videnda. Primum est quid sit praedestinatio, & quare sic vocetur. Secundum erit in quo differat a providentia. Tertium erit qualem certitudinem habeat.

5. Quantum ad primum sciendum est quod omnia diriguntur in suos fines per diuinam providentiam, per quam confertur cuiuslibet rei illud quod expedit ad consecutionem sui finis. Finis autem ad quem res creatae diriguntur est duplex. Vnus proportionatus naturae ad quem res creata potest pertingere per virtutem propriae naturae & auxilia naturalia. Alius est qui excedit facultatem naturae creatae, & hic finis est vita aeterna quae consistit in visione diuina, vt patebit lib. 4. Oportet ergo quod ad hunc finem natura creata transmittatur ab alio dante sibi vnde possit ad talem finem pertingere, talis autem transmissio vocatur destinatio, sicut sagittam transmissam in signum a sagitante dicimus illuc destinatae, & quia rationes rerum praegressivae in deo antequam fiant, ideo ratio talis destinationis creaturae in finem supernaturalem praegressivae in deo, propter antecessorem ad rem dicitur praedestinatio, sicut ratio ordinis rerum in finem absolute loquendo dicitur providentia. Ex quo patet quod solius dei est praedestinare, & solius creaturae intellectualis est praedestinari: eius enim solius est praedestinare cuius est creaturam ordinare ad supernaturalem beatitudinem & conferre sufficienter promouentia in hunc finem, sed hoc est solius Dei, ergo &c.

d. 49. q. 4.

Tho. ar. 1.

Decet etiam eum aliquos praedestinare, quia ad prouisorie vniuersi pertinet conferre aliquibus de vniuerso remedia vel auxilia quibus assequatur optimum finem quae est in vniuerso, alioquin ille finis frustra esset possibilis creaturis, sed optimus finis qui est in vniuerso est vita aeterna, ergo ad Deum pertinet conferre aliquibus de vniuerso auxilia quibus assequantur vitam aeternam, sed ratio talis collationis in deo praegressivae vocatur praedestinatio, ergo &c. Sola etiam creatura intellectualis potest praedestinari, quia sola est capax illius finis, sic igitur patet primum.

6. **S**ECONDUM patet ex primo faciliter, praedestinatio enim & providentia differunt dupliciter. Vno modo secundum magis & minus commune, quia providentia est omnium rerum & respectu cuiuscunque finis, praedestinatio autem solum est creaturae rationalis & respectu finis supernaturalis. Secundo quia providentia non includit consecutionem finis, sed solum rationem collationis eorum quae expedit ad eius consecutionem suae finis attingatur suae non. Ex hoc enim solo quod militi dantur arma, & clerico liber, & mercatori pecunia, sufficienter est eis prouisum dato quod miles non vincat, nec clericus addisecat, nec mercator lucretur. Praedestinatio autem requirit consecutionem finis, vnde est ratio collationis eorum quae sufficiunt ad consequendum finem supernaturalem & ad ipsum perducunt, & hoc est quod quidam dicunt quod

Sancto Porciano

praedestinatio habet adiunctam voluntatem consequentem quae semper impletur. Providentia autem habet adiunctam voluntatem antecedentem quae non semper impletur, & hoc de secundo.

7. **Q**UANTUM ad tertium dicendum est quod praedestinatio habet infallibilem certitudinem, & in generaliter quae praedestinatus infallibiliter saluabitur, & in specialiter qui & quot saluabuntur. Quod patet per rationem adductam prius dist. 38. q. 2. quae talis est: Quicunque scit de aliqua causa contingere & impedibili quae sunt quae possunt ea impedire & quae impediunt vel non impediunt, vel si sit indeterminata scit quae sunt quae ea determinabunt, scilicet infallibiliter quid eueniet in merito, & quid reddetur pro praemio, sed Deus scit infallibiliter quae possunt determinare liberum arbitrium, & quae determinabunt, & quae possunt impedire quacunque causam impedibilem & quae impediunt, ergo scit infallibiliter de merito vniuscuiusque, & de praemio, & hoc sciendo scit quis est praedestinatus & quis non: quare &c. Hec autem infallibilitas non est necessitatis simpliciter, sed solae expositione vt prius dictum fuit cum ageretur de cognitione futurorum contingentium, propter quod non est concedendum simpliciter quod praedestinatus necessario saluetur, sed sub conditione vel replicatione in quantum praedestinatus qui est sensus copositus, & hec est necessitas consequentiae non consequentis nisi modo quo dictum est.

8. **A**D primum argumentum dicendum quod Deus nunquam potuit non praedestinare quem praedestinavit, aut praedestinare quem non praedestinavit, accipiendo compositum, quia vt dictum fuit prius, hoc esset pro eodem tempore vel pro alio, quorum primum includit in re contradictionem, secundum autem ponit in Deo mutabilitatem. Accipiendo autem diuinitatem de potestate absoluta Deus potest nunc vere praedestinare quem non praedestinavit, & non praedestinare quem praedestinavit, hoc enim posse sonat solae libertatis Dei respectu talis obiecti: ex hoc autem non tollitur certitudo praedestinationis quae ponitur in sensu composito.

9. **A**D secundum dicendum quod liber vitae dicitur dupliciter quo ad praesens. Vno modo dicitur cognitio diuina de illis quae eliguntur ad habendum vitam aeternam simpliciter & absolute, & sic soli praedestinati scribuntur in libro vitae, & qui sic scripti sunt in libro vitae nunquam delentur ex eo, sed infallibiliter saluabuntur. Alio modo dicitur liber vitae cognitio diuina de illis qui ordinantur ad habendum vitam aeternam, non simpliciter, sed secundum praesentem iustitiam: & sic scripti sunt in libro vitae omnes qui quoadquod sunt in gratia, & qui sic sunt scripti delentur quandoque, et non scripti scribuntur, quia contingit habentem gratiam eam perdere, & non habentem postea habere, sed hoc in nullo est contra certitudinem praedestinationis quae est illorum qui eliguntur simpliciter ad habendum vitam aeternam.

10. **A**utoritates adductae pro alia parte quae loquuntur de certitudine & necessitate praedestinationis sunt intelligendae de necessitate suppositionis quae non tollit contingentiam simpliciter, vt frequenter dictum est.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum ad Deum pertineat aliquem reprobare.

Thom. 1. q. 23. ar. 3.

Secundo quaeritur de reprobatione, vtrum ad Deum pertineat aliquem reprobare. Et videtur quod non, quia nulli debet imputari quod vitare non potest, sed si quis est a Deo reprobatus vitare non potest quin pereat, Eccle. 7. Considera opera Dei quae nemo potest corrigere quem ille despexerit, ergo ei non est imputandum: sed hoc est inconueniens, ergo &c.

2. **I**tem sicut se habet praedestinatus ad praedestinos sic reprobus ad reprobos, sed Deus praedestinatus est causa salutis praedestinatorum, ergo si deus est aliquos reprobus erit causa damnationis eorum: sed hoc est falsum, dicente Dño Osee. 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum, ergo Deus neminem reprobat.

3. **I**N CONTRARIUM est quod dicit Mal. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et arguitur per rationem, nauta qui per suam praesentiam est causa salutis nauis per sui absentiam est causa periculationis eius, vt dicitur, 2. Physic. sed Deus vt praesens alicui per continuatam gratiam

gratiam ipsam prædestinat, ergo ut absens alicui per gratiam ipsam reprobatur.

4 **RESPONSIO.** Vndendum est primò quid sit reprobatio, & post hoc facilius patebit quod queritur. Quia tunc ad primum videtur quòd reprobatio opponatur approbationi, sicut ipsa nomina declarant: approbare autem & reprobare potest dicere actum intellectus & actum voluntatis, dicimus enim approbare aliquod dictum quòd iudicamus illud esse verum, & reprobare quòd iudicamus illud esse falsum, & sic approbare & reprobare sunt actus intellectus tam speculativi quam practici: & sic loquitur Aug. quando dicit quòd error est approbare falsa pro veris. Dicimus etiam quandoque approbare quòd acceptamus, & reprobare quòd refutamus, ita quòd approbatio & reprobatio sunt idem quòd acceptatio & refutatio: & sic sunt actus voluntatis & partes electionis, eligens enim acceptat unum aliis refutatis.

5 Accipiendo ergo primo modo approbationem & reprobationem, approbatio est iudicium vel sententia diuina de aptitudine alicuius ad vitam æternam, reprobatio verò est iudicium vel sententia diuina de ineptitudine alicuius ad vitam æternam. Sed accipiendo secundum modo approbatio est acceptatio alicuius ad vitam æternam, quam Apostolus vocat electionem, reprobatio verò est refutatio alicuius à consecutione vitæ æternæ. Si verò includat utrunque (vt aliqui volunt) tunc approbatio est præuisio aptitudinis alicuius ad vitam æternam, & propositum seu acceptatio illius ad eam, reprobatio verò est præuisio ineptitudinis alicuius ad vitam æternam & propositum re futandi eum ab ea.

6 Ex quo patet quòd reprobatio non opponitur directè prædestinationi, sed alicui antecedenti ad prædestinationem, quia reprobatio secundum modo accepta opponitur electioni modo quo dictum est, electio autem præcedit prædestinationem, vt patebit in sequenti distinct. quæst. 1. Accepta autem primo modo opponitur approbationi quæ præcedit electionem tanquam conclusio consilii, & per consequens præcedit prædestinationem, quia quod est prius est prius posteriore, & ideo illud quòd præcedit electionem præcedit prædestinationem.

7 Si autem accipiat tertio modo (scilicet pro aggregato ex utroque) idem sequitur, quia totum inferitur ex am babus partibus simul sumptis. Hæc autem plenius patebunt postea, sed tantum accipiamus nunc, quòd reprobatio est præuisio ineptitudinis alicuius ad vitam æternam & diuinum propositum refutandi vel repellendi eum ab ipsa.

8 Ex hoc patet quòd ad Deum pertinet aliquos reprobare, quia sicut decet iustos præmiari propter suum meritum, sic decet malos excludi à præmio & vltius puniri propter suum demeritum, ergo sicut Dei est illos approbare & acceptare ad gloriam quos scit futuros bonos, est quorum præiudicium meritum, ita ipsius est illos reprobare & refutare à consecutione gloriae, & præparare ad penam quos scit futuros malos, & quorum præiudicium demeritum. Iuxta quòd est considerandum quòd reprobationis sunt duo effectus, scilicet exclusio reprobi à gloria, & reordinatio culpæ per penam. Respectu primi Deus se habet in ratione volentis cum illud sit bonum & iustum, sed non se habet in ratione facientis propriè, quia exclusio à gloria non fit propriè per actionem qua aliquid insuatur, sed per caritatem actionis per quam gloria insuaretur, & quia nullus excluditur à gloria nisi prius exclusus à gratia, ideo alius effectus reprobationis est priuatio gratiæ ad quam Deus se habet modo consilii. Hæc autem subtractio gratiæ dicitur exæcatio, quia gratia lumen est in anima, dicitur etiam obduratio, quia gratia habilitat animam ad bonum, propter quòd cõmuniter dicitur quòd Deus est causa exæcacionis & obdurationis non immittendo culpam, sed nõ dando gratiam. Respectu autem secundi Deus se habet in ratione volentis & facientis, quia ad bonum prouisorè pertinet quòd inordinata reordinet, sed malum culpæ licet sit quædam inordinatio à bono rationis, est tamen ordinabile per penam in bonum iustitiæ, ergo ad Deum prouisorè vnuerfè pertinet ordinare mala per inflictionem penæ, & quia hoc fit per veram actionem, ideo Deus se habet respectu huius non tantum in ratione volentis, quia est bonum & iustum, sed etiam facientis.

Quæstio I.

109

9 **AD PRIMVM** Argumentum dicendum quòd reprobis simpliciter & absolute potest vitare culpas, non enim tollitur ab eo libertas arbitrii, & cum dicitur quòd nemo potest corrigere, &c. Dicendum quòd absolute loquendo reprobis potest corrigi, sed stante hypothese si sit reprobis nõ debet poni in eise quòd sit correctus, hoc enim esset ponere opposita simul, & sic intelligenda est illa autoritas.

10 Ad aliud dicendum quòd Deus est causa damnationis malorum (non merito) cum meritum damnationis sit culpa quæ est à nobis non à Deo, & sic intelligenda est autoritas Osee, sed est causa effectiua damnationis quò ad penam ordinantem culpam, & subtractionis gloriae modo quo dictum est.

DISTINCTIO XLI.

Sententia literæ Magistræ in generali & speciali.

SI autem querimus. Superius Magister determinauit de prædestinatione in se, hic determinat de ipsa per comparationem ad suam causam. Et diuiditur in duas partes. Primò determinat intentum. Secundò incidenter inquirit vtrum scientia Dei aliquo modo diminuat. Secunda ibi. Postea considerari oportet. Prima istam diuiditur in duas. Primò determinat veritatem. Secundò excludit errorem. Secunda ibi. Opinati sunt tamen. Et hæc secunda diuiditur in duas secundum quòd remouet duplicem errorem. Secunda ibi. Multi verò de isto profundo. Secunda verò pars principalis inquirit vtrum scientia Dei possit diminui, diuiditur in duas partes. Primò mouet questionem & soluit. Secundò obicit in contrariū & soluit. Secunda ibi. Adhuc autem opponitur. Et hæc est diuisio & sententia lectiois in generali.

2 **IN SPECIALI** verò sic procedit Magister, & proponit primò quòd prædestinatio sub merito nõ cadit, obduratio autem cadit: sic sanè tamen intelligendo quòd nomine obdurationis nõ ipsa præsciencia diuina, sed subtractio gratiæ intelligitur. Aliqui enim suis peccatis merentur vt eis gratia non apponatur. Prædestinatio verò nec quantum ad illud quòd æternum est, nec quantum ad gratiæ appositionem sub merito cadit. Postea subdit quòd aliqui opinati sunt quod propter futura merita aliqui prædestinentur & reprobentur à Deo, & ad hoc adducunt autoritates Aug. qui videtur dicere quòd dominus elegit Iacob propter fidem futuram ipsius: & non propter opera, tanquam fides esset à nobis, non autem opera meritoria, sed illa essent à Spiritu sancto. Sed Aug. postea retractauit illud quòd fides inter Dei munera cõputatur sicut opera, sed tamè utrunque dicitur nostrum, quia sine nostra voluntate non est, & utrunque Dei est, quia nõ sine dono Dei gratuito. Videtur igitur Aug. dicere quòd futura fides in Iacob fuit causa prædestinationis, sed sicut dicit Magister: Aug. hoc retractauit, quia iam gratia non esset gratia, sed debitum, vbi etiã dicit inter alia quòd aliquid præcedit in peccatoribus per quòd sunt digni iustificatione, per quòd non intendit dicere quòd iustificatio sub merito cadat, sed quòd aliqui non ita peccant quòd ideo non mereantur sibi gratiam non apponi. Postea tangit errorem aliorum qui dixerunt quòd animæ prius peccauerunt, & postea secundum merita & demerita in cordibus quasi in quibusdam carceribus sunt incluse, quæ opinionem Aug. dicit erroneam esse, vnde dicit quòd reprobatio Dei non est causa peccati, sicut prædestinatio causa boni. Postea querit, vtrum scientia Dei possit diminui, & respondet quòd præsciencia potest minui, scientia verò non: multa enim præsciuit quæ modo nõ præsciuit, quia non sunt futura, sed omne quòd sciuit, scit. Postea obicit in contrariū, quia me nasciturum præsciuit & modo nescit, ergo non omne quòd sciuit scit, & respondet quòd omnem rem quam sciuit scit. Argumentum autem procedit de diuersitate quo ad modum sciendi qui importatur per enunciabilia, & in hoc terminatur sententia in speciali.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum electio præcedat prædestinationem, an e conuerso.

Ibo. 1. q. 23. ar. 4.

O 5

Circa